

The Electronic Manipulus florum  
www.manipulusflorum.com

Religio p  
cum fontibus primis

Quia terreni principes magna se Deo  
humilitate substernunt, proui homines

nunc ad fraudis argumenta  
uertuntur. Quia enim illos  
religionem reuereri conspiciunt, ipsi  
cultum religionis assumunt et bonorum  
uitam sub despectis uestibus  
iniquis operibus premunt. Mundi quippe  
dilectores sunt qui hoc in se quod  
homines uenerantur ostendunt,  
atque eis qui uere se despiciunt,  
non mente sed ueste copulantur  
quia presentem gloriam amantes  
assequi non possunt quasi despicientes  
sequuntur.

Honores enim fugiunt ut honoribus  
obuient.

Gregorius libro XXXI. moralium.

Igitur  
quia terreni principes magna se Deo  
humilitate substernunt, proui homines  
qui dudum contra Ecclesiam in  
infidelitate positi aperta aduersitate  
saeuebant,  
nunc ad alia fraudis argumenta  
uertuntur. Quia enim illos  
religionem uenerari conspiciunt, ipsi  
cultum religionis assumunt et bonorum  
uitam sub despectis uestibus  
iniquis moribus premunt. Mundi quippe  
dilectores sunt hocque in se quod  
homines uenerentur ostendunt,  
atque eis qui uere semetipsos despiciunt,  
non mente, sed ueste copulantur.  
Quia enim praesentem gloriam amantes  
assequi non possunt, quasi despicientes  
sequuntur.

Gregorius Magnus, *Moralia in Job*, 31, 7  
(CCSL 143B, M. Adriaen ed., p.1556,  
ll.26-35).

Amant subesse, ut possint praeesse,  
honores fugiunt, ut honoribus  
occurant.

Hugo de Folieto, *De claustro animae*  
*libri quatuor*, 3, 3 (PL 176, col.1090A).